



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXVII. De Donatione Constantini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXVII.

D E

Donatione Constantini.

Ingens illa Constantini Imperatoris verè Magni in Ecclesiam Catholicam liberalitas, miraque in Clerum Romanum beneficentia & linguæ & calami vincit officium, utpote à quamplurimis egregiè publicata, à nemine hucusque deprædicata fatis. Testimonium luculentum perhibent splendidissimæ Basilicæ, quæ tum Romæ; tum aliis in locis, diversisque Regionibus, admirabili prorsus opere, ab eodem constructæ, & pretiosissimis cimeliis, non minus quàm copiosis proventibus dotata in hodiernum usque diem perstant. Innumera ferè hujus effusæ largitatis insuper prostant certissima argumenta in vita Constantini, ab Eusebio Pamphili quatuor libris conscripta (quidquid nasutuli pauci de hoc frivole dubitent) & in oratione proluxa, quam ad trigessimum annum Imperatoris de hujus laudibus habuit, atque plurima aut oculis spectavit, aut certa relatione percepit. Neque defuere supbares, qui regiam Constantini magnificentiam accuratè literis consignarunt. Unicum est, de quo inter Scriptores, potissimum modernos, controversitur. An sci-

licet Imperator ille munificentissimus Sylvestro Romano Pontifici, suisque in perpetuum Successoribus Romam cum cæteris in Italiam annexis, quæ nunc Petri patrimonium vocari solent, dono dederit.

Hoc ipsum dum modeste in disquisitionem trahitur ab iis Theologis, Canonistis, Politicis, qui Evangelici Pontificatus verticem reverentur; nullatenus intendunt Ecclesiæ Romanæ Majestatem & amplitudinem vellicare, illiusve jura concutere, aut quovis modo in dubium revocare. Neque arbitrantur antiquissimæ ac pacificæ possessioni quidquam derogatum iri, si Constantinianam Donationem suis examinent ponderibus. Qui, si fortè edictum, quod Constantinus fertur desuper evulgasse, minus habens inveniant; nequaquam Urbis, & eorum, quæ huc pertinent possessionem, Dominium, aut Domini acquisitionem, sugillare, impugnare, vel Sanctæ Sedi aliquid abjudicare moliantur: quilibet enim profiteretur idem, quod in simili Thuanus tom. 3. hist. lib. 69. *Privatus sum; adeoque scripto meo nihil mortalium ulli, quod non habet, largiri, vel quod*

quod habet adimere possum. Quin omnes hoc persuasum habent, non solum utiliter; sed & necessariò ex singulari Numinis providentia, ac dispositione temporalem Principatum Pontifici Maximo fuisse traditum; quatenus hoc modo Ecclesiæ visibilibus Hierarchia adversus tyrannorum insultus, sectariorum machinationes, hostium violentias ac ipsalmet inferiorum potestates firmata & stabilita, utrumque gladium pro opportunitate exerere possit.

Atque ut hæc est omnium rectè sententium sincera constansque opinio: ita eorum argutatio, qui ex non facta donatione Urbis hanc ad Cæsarem pertinere contendunt, stultitiæ argumentum à Cano justè censetur. Ipsamet professò Cardinalis Baronius acerrimus, si quis alius, juris Pontificii defensor in *Annal. ad an. Christi 324.* dum rejicit editum, quod à Constantino prætenditur consignatum, non credit se exinde detrahere Romanæ Ecclesiæ juribus quidpiam, quibus tuendis satis sit antiquæ ac justæ possessionis titulus. Antiquæ; quia Francorum Christianissimi Principes in suis professi sunt Diplomatis, quod ea, quæ à Longobardis aliisve ablata fuerant jura & privilegia, Romanæ Ecclesiæ restituant. Romani enim cum pristinæ libertatis ac Majestatis interemptivo desiderio, omnia quondam suæ ditionis regna in suam potestatem redigere satagerent, Sedi Apostolicæ regalia omnia adimere, ipsumque Pontificem, magno in populo saepe coorta seditione in ordinem redigere voluerunt. In illud quoque Longobardi omnem operam suam collocaverant, ut Papæ potentia aut omnino adimeretur, aut saltem imminueretur. Sed & hos & illos Franci, nec non Germani Imperatores, injecto freno, validè compescuerunt. Justæ etiam possessionis adest titulus; liquidem Romana Ecclesia ante illa, à Regibus & Imperatoribus collata, beneficia, seu privilegia, jam potiebatur rerum dominio; proin-

de potuit illud sibi merito vendicasse. Cùmque certam sit, nulla fortium armorum vi, aut violenta grassatione hoc jus obtinuisse, utique titulo donationis obvenisse debuit, quo in hodiernum usque diem Romana Sedes, freudentibus inimicis, plenissimè gaudet. Accedit veneranda vetustatis auctoritas, ut habetur *Novel. 13. c. 3.* quæ habet vim constituti. *L. hoc jure §. dactibus aquæ ac* specialis concessionis Imperatoris, pro veritate habetur, Regia auctoritati æquiparatur, & habet justitiam permanentem, Paldus, & cum eo DD. communiter. Itaque, qui eam pro se habet, fundatum habet jus. Et quia præsumptio juris pro documento habetur idoneo *L. frve. C. de probat.* eaque militet maxima pro Pontifice, de donatione, non est ambigendum. Facessant igitur Gnathones & Rabulista, carici homonctiones, ut Plato loquitur; qui, jurato more suo, Sedis Apostolicæ detestatione debacchantur, & antiquos libros manuscriptos in latebrosis locis laboriosè evolvunt, atque ex fœtido pulvere Authores quosvis excitant; ut proberent Pontifici Maximo nullum jus in Urbem competere, eique temporalem potestatem abnegent; quam aut injustè datam, aut impie acquisitam furiosè contendunt; adòque illum tanquam malæ fidei possessorem exturbandum, calamo in atra Phlegæontis unda tincto, scribere non verentur; quasi nec fœdera ulla aut pacta subsistere queant, dum Urbs ad Romanum spectet Imperium; & Cæsari reddendum, quod est Cæsaris. Quibus commodè respondendum, quod *Jud. cap. 11.* Jephre respondit Regi Ammonitarum, terram Galaad repetenti. *Quod Dominus Deus noster (Ecclesia ejus) obtinuit victor in nostram cedit Possessionem, nisi fortasse docere potes, quod qui, quam de ea surgatus sit per trecentos (supra mille) annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?*

P p

Quod si

Quod si Regna & Imperia, etiam iniuste & per latrocinium acquisita, tandemque longo tempore possessa, aliquando cedant in legitimum possidentis dominum & usum, ut communis fert Jurisconsultorum gnoma: sane ad idem jus tribuendum Romano Pontifici, quem totus Christianus Orbis hujus Urbis agnovit Dominum, tot sæculorum valebit præscriptio, & bonæ fidei possessio. Atque illum verum legitimumque Romæ esse Dominum inimici nostri sunt iudices: quin ipse Barerus, insignis Regum adulator, *Lib. 2. cap. 1.* Papæ jura antiquiora & æquiora (quæ semper spectari debent) libenter confiteatur; potius Constantini posteros incusans, quod detinuerint, quam Pontifici jus derogans. Alii aliter sentientes risu potius, quam responsione explodendi sunt. Sagaciter observat Baronius, quando in *An. rom. 12. ad an. Christi 1191. n. 3.* scribit. *Quod autem inani studio laborent novatores improbare; quod fertur editum, seu decretum Constantini Donationis è Græco in Latinum translatum; sciant ipsi se in his nostram potius causam agere, quam contra nos pugnare... Neque ob eam causam, quod nolunt suffragari nobis ipsum Constantini decretum, mox jure excidit eadem Ecclesia temporalium rerum Dominio, quod certum atque indubitatum est in omnibus plurimum Imperatorum diplomatibus possidere, &c. &c.*

Itaque inharendo factæ protestationi, in præsentiarum non possessoris hujus fides, titulus, aliave requisita juris in discrimen adducuntur: non enim instituti suscepti ratio permittit de his tractare, in quibus Neoterici, maligno livore infecti, sese mirum in modum torquent: eaque dente Theonino rodere non desistunt, sed, quod passim narratur; literaria ventilatione discutitur: num scilicet Constantinus Imperator Romanam urbem, & alias quasdam in Italia ditiones Sylvestro Pontifici Maximo, cæterisque in eadem Sede Successoribus donaverit.

Donationem factam seu referunt, sen etiam asseverant plerique mediæ ævi Scriptores, Isidorus Mercator, Ado Viennens. Luprandus, Hincmarus Archi-Ep. Rhem. Petrus Damiani, Godofridus Viterb. deinde Joannes de Polemar Archid. Barcin. in *Orat. Con. Basil.* Augustin. Eugubinus *Lib. de Donat. Const.* Angelus Rocca cum alijs recentioribus quibusdam, quorum sententiam Canus *Loc. Theol. Lib. 11. cap. 5.* vult esse communem opinionem recepit. Rectè quidem; si per hanc intelligatur vulgò credulitas, quæ hinc nititur sublevis.

I. Non absque manifesta Numinis inspiratione Constantinus Imperator terrena Sedem Imperii Romæ Byzantium transtulit: quandoquidem minus conveniens esse persuasum habebat, ut ibi Sæcularis Imperator regeret; ubi Sacerdotii Princeps, & Ecclesiæ visibile caput, ex divina dispositione sederet: quatenus sic à Daniele prædictum Regnum Ecclesiæ stabiliretur Romæ. Mox Occidentis Cæsares Constans, aliique, qui plurimum decursu sæculorum suæ secuti, Romæ semper cesserunt; atque Imperii sui Sedem Mediolani, Ravennæ alibive locarunt. Constantinus quidem Heraclii nepos, Michael, & alii quidam Orientales nisi sunt etiam Romæ suam Sedem constituere; sed minime valuerunt. Quoniam Romani Pontifices, licet nec armis, nec ullo alio studio inimicorum machinationibus occurrerent, in possessione manserunt; id, quod Zosimus amarulenter salemque nigrum affricando, ut apud Horatium legitur, refert non inermisit. Ast Deus, in cujus manu sunt omnium jura Regnorum, suæ Ecclesiæ agebat causam. Interim citatus Author gentilis ingenue fatetur, quod Imperator Romanæ urbis imperium dimiserit. Verba ejus sunt. *Constantinus cessit Romæ, & Constantinopolim à se Majestatem Imperialem transtulit, quod se Romanis scires invisum ob mutam religionem.* Hinc doctissimus Genebrardus *Lib.*

Lib. 3. Chronol. Sic argumentatur. Constantinus cessit non Senatus, non populo; nam nemo id scripsit: sed nec Senatus, aut populus de eo unquam movit litem; ergo Pontifici, qui urbem, ut suam, ab eo tempore possidet, servat, & de ea antiquas habet tabulas, testimonia & census. Eadem plena historiarum fide certò constant. Audiendus vel unus inter quamplurimos Otto Frisingensis Episcopus, Henrici IV. Imp. ex filio nepos, Conradus III. frater Uterinus, Friderici I. avunculus, qui lib. 3. Chron. cap. 3. scribit Imperatoriam Sedem Româ Bizantium à Constantino translata, subjungitque. Et hinc Romana Ecclesia Occidentalia Regna tanquam sui juris à Constantino sibi tradita affirmat: & in argumentum tributum, exceptis duobus Francorum regnis, usque hodie exigere non dubitat.

II. Extat Edictum hujus donationis apud Græcos in Nomocanone Photii, qui fuit Cartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Item apud hujus Glossatorem Theodorum Balsamonem, qui conceptis verbis Imperatoris donationem refert. Tradimus ipsi Sanctis Apostolis, Beatis Dominis meis, Petro & Paulo; ac post illos Beato Sylvestro Patri nostro, Magno Episcopo & Catholico Papa urbis Romæ, omnibusque Successoribus ejus, qui ab hodierno die usque ad finem mundi in solio B. Petri presidebunt, nostrum Palatium Lateranense, quod superat atque vincit totius mundi palatia. Ipsum Donationis instrumentum authenticum Græcum creditur in Vaticana Bibliotheca reservari, quod Bartholomæus Pincerna, & Augustinus Steuchius in Latinam linguam transtulerunt. In Archivo Sanc Dionysiano reconditum etiam est Dagoberti Regis diploma, in quo hic proficitur, quod Constantinus Magnus donaverit S. Petro arcem Romani Imperii cum omni integritate, &c. Meminit quoque ejusdem Donationis S. Leo IX. L. M. in Epistola, quam Pontificatus sui anno 5^{to} Michaëli

Imp. Orientis inscripsit, quæque omnino consona tantæ Principis liberalitati perhibet. Insinuat illam S. Bernardus ad Eugenium III. Lib. 4. confid. Jam verò triti juris est, quod instrumentum publicum plenam fidem faciat sine alio adminiculo. Innoc. in cap. 2. X. de fid. instrum. text. in L. 15. de fid. instrum. L. 18. c. de probat. Maximè, si sit antiquum. Inn. cap. Veniens de V. S. Estque probatio probata & non probanda, ut Baldus in L. interest num. 1. 2. C. de solut. L. ult. c. de usur. faciens rem evidentem & notoriam C. Cum dilecti, quod sine dubitatione procedit, si verba instrumenti clara sint, pro ut hic sunt clarissima.

III. Præstantissimi & in omni antiquitate versatissimi Canonistæ Donationem Urbis Sylvestro à Constantino factam suo calculo, re perquam bene discussa, approbant. Deusdedit S. R. E. Cardinalis presbyter in suo volumine Canonum, Anselmus Lucensis in Coll. Lib. 4. cap. 32. Ivo Episcopus Bellocensis in Except. Decret. part. 3. cap. 4. & 7. & veteres plerique omnes. Magnum insuper huic rei adjicit pondus, quod Gratianus, compiler Decretorum, iis interverit Constantini edictum Donationis quod Distin. 96. cap. Constantinus sic habet.

Utile judicamus unâ cum omnibus satrapis nostris & universo Senatu, optimatibus & cuncto populo Imperio Romana Ecclesia subjacenti: ut sicut B. Petrus in terris Vicarius filii Dei videtur esse constitutus; ita & Pontifices ipsius Principis Apostolorum in terris Principatus potestatem amplius quam terrena imperialis serenitatis nostra mansuetudo habere videtur, concessam a nobis, nostroque Imperio obtineant, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum, vel ejus Vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia: ita ejus S. Romanam Ecclesiam decernimus veneranter honorari, & amplius quam nostrum Imperium terrenumque thronum, Sedem sacratissimam

B. Petri gloriose exaltari; tribuentes ei potestatem & gloriam & dignitatem atque vigorem & honorificentiam Imperialem; atque decernentes sancimus, ut Principatum teneat tam super quatuor Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei. Et Pontifex, qui per tempora ipsius S. R. E. exiterit, celsior & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio, quae ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur Ecclesis B. Apostolorum Petri & Pauli pro continuatione luminariorum possessionum praedia contulimus, & rebus diversis eas ditavimus, & per nostram Imperialem iussionem sacram, tam in Oriente, quam in Occidente, vel etiam in septentrionali & meridiana plaga, videlicet in Judaea, Graecia, Asia, Thracia, Africa & Italia, vel diversis Insulis nostra largitate ei concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi Patris nostri Sylvestri Summi Pontificis, Successorumque ejus omnia disponantur. B. Sylvestro & omnibus Successoribus ejus de praesenti tradimus palatium Imperii nostri Lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non & super humerale videlicet lorum, quod Imperiale circumdare solet collum, utramque chlamydem purpuream atque tunicam coccineam & omnia Imperialia indumenta, seu etiam dignitatem Imperialem praesidentium equitum, conferentes etiam ei Imperialia scepra, simulque cuncta signa atque banda & diversa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis & gloriam potestatis nostra... & ut amplius Pontificale decus praesulgeat decernimus, ut Cleri ejusdem R. E. mappulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decoratos equos equitent: & sicut noster Senatus salceamentis utitur cum redonibus, id est, candido linteamine illustrentur, decernimus itaque

& hoc, ut ipse & Successores ejus diademate, videlicet corona, quam ei ex capite nostro concessimus ex auro purissimo & gemmis pretiosis uti debeat pro honore B. Petri. Unde in Pontificali apex non vilescat, sed magis quam terreni imperii dignitas, gloria- & potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, quidem Romanam urbem & omnes Italia, sive Occidentalium Regionum Provincias, loca, civitates beatissimo Pontifici & universali Papa Sylvestro concedimus atque relinquimus & ab eo & a Successoribus ejus per pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque iuri S. R. E. concedimus permanenda.....

Hujus vero Imperialis decreti paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus B. Petri posuimus. Datum Roma. sexta Kal. April. à Constantino Augusto IV. Consule & Gallicano I V. Cons.

Quandoquidem vero hoc Edictum, in revisa emendata, jussu Gregorii XIII. P. M. correcta & expurgata compilatione remiserit; sine inigni temeritatis nota velut supposititium rejici nequit. Huic conformia sunt, quae cap. Fundamenta 1. de Elect. in 6. leguntur hujus tenoris. Ne autem mater Ecclesia in congregatione & pastura fidelium temporalibus careret auxilio quin potius ipsi adjuva spiritualibus semper proficeret incrementis; non absque miraculo effectum esse concipitur, ut occasionaliter Constantina Monarcha, à Deo provisa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas, quaedam quasi adjiceret ipsi Ecclesia firmitatem. Qui quarto die sui baptismatis, una cum omnibus satrapis & universo Senatu optimatibus & cuncto populo in persona B. Sylvestri sibi Romanam concedendo urbem relinquens, ab eo & Successoribus ejus per pragmaticum constitutum disponendum esse (decernens in ipsa urbe utriusque potestatis Monarchiam Romanam Pontificibus) declararet. Non iustum arbitrans, ut ubi Sacerdotii principatum, & Religionis Christiana caput Imperator coelestis

instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem. Quin magis ipsa B. Petri sedes in Romano jam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur: nec ulli subesse homini, qua ore divino cunctis dignoscitur esse pralata. Hæc Bonifacius VIII. qui in signum hujus Monarchiæ duplicem suæ tiaræ indidit coronam, quam dudum Nicolaus I. Simplici ornauerat. Eam deinceps Urbanus V. tribus cinxit, quali tricoronato in præfens utuntur Romani Pontificus anademate.

Quantumconque hæc satis plausibilia videri possent, factam nihilominus à Constantino hujusmodi donationem simpliciter negant Aneas Sylvius, postea Pius II. P. M. in dialo. Hieronym. Paulus, camerarius Pontificis in præf. Concell. S. Antoninus 1. p. hist. tit. 8. cap. 2. Nicolaus Cardinalis Cusanus Lib. 3. Concord. Cath. cap. 2. quem librum Concilio Basiliensi obtulit. Albertus Kranzius in Metrop. L. E. cap. 2. Volateranus, Anton. Alliacus, Joan. Aveninus, And. Alciatus, Covarruvias, Franc. Valquez, Baronius, Petrus de Marca Lib. 3. cap. 12. referens illam donationem à præclaris vitis confossam & prostrigatam. Christianus Lupus p. 2. in Can. 8. ubi fateretur neminem eruditorum dubitare, quin edictum sit spurium & fictitium, Emanuel schelstrate epistol. s. Bibliotheca Vaticanae Antiq. illust. part. 2. dissert. 3. cap. 7. Josephus Cantelius: Soc. JESU. aliique passim, quos accedit per quam illustis & pleisique nominibus venerandus Cladius Fleuris à Christianissimo Rege Ludovico Magno suorum nepotum substitutus informator, atate, literis ac meritis consummatus Hist. Eccles. tom. 13. suo testimonio confirmans, ab omnibus modernis hanc donationem repudiari, quorum argumenta sat constringentia censentur.

I. Eusebius Pamphili, Ruffinus, Theodoretus, Evagrius, Socrates, Sozomenus, Eutropius, ceterique probatæ fidei Historici,

hiographi veutilissimi, qui omnia Constantini Magni gesta fideliter, & exactè adnotarunt, ejusdem munificentiam summo studio publicaverunt, nullam prorsus hujus tam largæ, tamque notabilis donationis mentionem fecerunt: quorum notitia hanc subreptam fuisse, aut eorundem memoriæ excidisse creditu difficillimum erit. Sed neque Pontificum ullus ante Leonem IX. aut saltem Adrianum I. qui benefacta Imperatorum aut Regum in sanctam Sedem deprædicarunt, vel patrimonium Petri, quod vocant, acquiritum & possessum demoostrarunt, hanc donationem allegant, quam ipsi neutiquam omittissent. Audiri de hac re meretur omnium disciplinarum genere clarus, ævoque suo spectatissimus Cardinalis Cusanus loc. cit. scribens. *Omniū sententia indubitata est Constantinum Imperatorem occidentis Imperium Romano Pontifici Sylvestro, ac ejus in ævum successoribus perpetuo dono tradidisse..... sed in rei veritate supra modum admiror, si ita est, eo quod in authenticis libris & in historiis approbatis non invenitur. Relegi omnia, qua potui, gesta imperialia, ac Romanorum Pontificum historias, S. Hieronymi, qui ad cuncta colligenda diligentissimus fuit, Augustini, Ambrosii ac aliorum opuscula peritissimorum; revolvi gesta sacrorum Conciliorum, qua post Nicanum fuere, & nullam invenio concordantiam ad ea, qua de illa donatione leguntur. S. Damasus Papa ad instantiam B. Hieronymi actus & gesta prædecessorum dicitur annotasse: in cuius opere de Sylvestro Papa non ea inveniuntur, qua vulgò dicuntur. Legitur in certis historiis Constantinum à Sylvestro baptizatum, & ipsum Imperatorem tres illas S. Joannis & SS. Petri & Pauli Ecclesias mirificè ornasse, ac annuos multos redditus ex diversis massis terrarum in diversis provinciis, & insulis, pro continuando Lampadarum Balsami ac nardi pistici ac ceterorum donasse, de quibus omnibus particula rem mentionem in Pontificum libris præneis.*

ries: sed de donatione temporalis domini, aut Imperii Occidentis nihil ibi penitus continetur. Et quoniam catalogus ille Damaso adscriptus ab incerto Authore, & non nisi sæculo VI. compositus fuerit, varia tamen liberalitatis Constantianæ documenta continet apud Henschenium & Pabebrochium in *act. SS. tom. 1. mensis Aprilis Prologon. in vit. S. Sylvest.* Neque Paulus Diaconus, Orosius, Beda, Zonaras, Nicephorus Callixtus &c. rem tanti momenti silentio præterissent, si revera contigisset, qui hujus Imperatoris acta, langè minoris observationis, posteris tradiderunt. Sozomenus *Lib. 2. hist. cap. 32.* perhibet, quod Constantinus regna sua dividerit filiis, testamentum condiderit, Romæ verò tam veteri quam juniore, quædam Privilegia (non Regna & Imperia) reliquerit.

II. Edictum, cui donatio innitur, seipso redditur in nihilum. Stylus siquidem illi est valde inconcinuus, barbarus, tibi que dissimilis, æque ac aliis ejusdem Imperatoris edictis. Recentior est, continetque terminos, qui sæculo IV. in publicis minimè leguntur diplomatibus: sed sæculo octavo, nono denique frequentiores erant, quales sunt. *Imperialis, sacra, pragmatica Constitutio, satrapæ, optimates Banda &c.* In eodem Diplomate Constantinus se ipsum vocat, *Fidelium, mansuetum, beneficium, Allemanicum, Gothicum, Sarmaticum, Germanicum, Britannicum, Flunnicum, Pium Felicem, Victorem triumphatorum, semper Augustum &c.* quæ titulorum, ambitiosa non minus quam exotica, congeries sanè aliena est à modestia Constantini, qui aliis est edictis solitus fuerat præfigere. *Constantin. Augustus, vel. Victor Constantinus Maximus, Augustus.* Juxta quod referunt tum Eusebius, tum alii. Præterea in edicto illo Imperator vocat Sylvestrum *Patrem patrum, summum Pontificem, universalem Papam*, quod tunc erat planè inusitatum, neque ab alio

Imperatore legitur usurpatum. Certe in Eusebio ad Melchiadem, Sylvestri prædecessorem referente Eusebio, *Lib. 19.* sic scribit. *Constantinus Augustus Melchias Episcopo Romano.* Insuper edicti falsitatem prodit Chronotaxis: siquidem vocatur 3^{io} Kal. April. Constantino quarto & Gallicano quarto Conss. At Gallicanus Symmachum tunc habuit collegam; Constantinus quartum cum Gallicano consulatum nunquam gessit, ut perspicuum est ex Fastis Consulibus, verum cum Licinio, qui fuit annis æræ vulgaris 315, quando Imperator necdum erat baptizatus, ne quidem in Baronii sententia, aut eorum, qui baptismum Romanum tuentur, & tamen in edicto & lepra & baptismi fit mentio, scilicet quod donatio sit facta quadriduo post receptum regenerationis Sacramentum. Arguit quoque suppositionem loci designatio, dum in aliquibus exemplaribus translatis scribitur *Datum Constantinopolis*, quæ urbs tunc Byzantium nominata, & non nisi decennio post aliud nomen sortita fuit. Denique manifestus edictum facit commentis, quæ narrasse, est refutasse. Dicitur & decernitur ut sedes Romanorum teneat eminentiæ principum super quatuor Patriarchatus, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum & Constantinopolitanum: cum tamen Hierosolymitana inter Ecclesias Patriarchales necdum esset elevata; & Constantinopolitano Episcopo Patriarchalis dignitas non nisi post longum temporis intervallum obvenit. Imo tempore concilii Chalcedonenis S. Leo renuit Anatolium, Episcopum Constantinopolitanum ut Patriarchatum agnosceret. Atque ut Patriarchatus quatuor extitissent, nihilominus priscis semper fuit creditum secularis, non Imperatoris edicto: sed Dei ordinatione Romanorum sedem tenere Principatum super omnes. Permittitur inibi Papæ Sylvestro ut portet coronam auream, gemmis ornata, qualem Imperator ipse met

porta

portaret. Ast Imperatores, seu Romani, seu Græci coronam nusquam sibi imposuere: sed ornamentum capitis erat stringens fascia candida, seu purpurea. Primus omnium Imperatorum, ut ex historicis probatis habetur, sertum, gemmis intextum, Constantinus gestavit: coronam verò nonnisi post duorum sæculorum intervallum Imperatores assumpsērunt. Ea siquidem Romanis semper suspecta & exosa fuerat, ut nomen Regis pariter invisum. Lateranense palatium, olim Plautii Laterani domus, in fiscum redacta, dicitur ibidem superare omnia mundi palatia, quod notoriè factum. Præterea Romanæ Ecclesiæ Clericos effici patritios & Consules, cæterisque dignitatibus temporalibus decorari, quemadmodum Imperator constituisse fingitur, profus absonum videri debet. Eiusdem quoque commatis est illud, quod Clerici Romani manipulis & linteamibus, id est, candidissimo colore condecorentur, sicut & eorundem equi: imo instar Senatorum calceamentis utantur candido linteamine illustratis. Et, ut cæterorum absistorum nulla fiat mentio, Constantinus, de quo hic controversatur Romano Pontifici & successoribus cunctis donat Romam, & omnes Italiæ seu Occidentalium Regionum Provincias, loca & civitates. Contra quod formatur Argumentum.

III. In comperto est orbem Romanum sic inter tres Constantini filios distributum, ipso adhuc vivente; eoque mortuo talem distributionem ratam fuisse habitam; ut Constantio attributa fuerit Italia ipsaque Roma & aliæ provinciæ Zonaras *in vit. Ec. Ec.* Quomodo ergo duo unius rei in solidum potuerunt esse Domini? Quomodo Imperator translatum Imperium potuit dividere? nec enim testamento locus est in ea re, quæ jam inter vivos alienata est. *L. 6. de testam. l. sequens de legat. 2.* Hæc autem partitio à patre facta inter liberos ultima voluntatis locum obinet. *l. penult. l. ult. Cod. faml.* Præterea

constat, quod deinceps plures regnaverint Romæ Imperatores, Refert Leonius Scholasticus in nova lauro, distinctus ab alio eiusdem nominis Episcopo in Cypro, *Lib. de sect.* quod Leo Imperator Orientis Anno 467. Anthemium miserit Romam; ut inibi, quæ Gubernator Urbis, nomine suo regeret. Evagrius Scholasticus æquævus (cùm uterque in fine sæculi VI. floruerit) id ipsum *Lib. 2. hist. Eccles. cap. 16.* memorat. *Anthemius porro, rogatus legatorum, à Romanis, ad Occidentem habitantibus Constantinopolim ad Leonem missorum, Imperator ad Romam gubernandam mittitur. Post occisum Anthemium, qui quinquennio Romanum Imperium administravit, Obymbrius à Rhecimere Imperator renuntiatur: quo extincto Imperator creatur Glycerius, quem Nepos, post quintum Imperii sui annum exturbat. Istum Nepotem regno ejicit Orestes, post Orestem filius ejus Romulus cognomine Augustulus, qui postremus Roma Imperator fuit 1300. annos post regnum Romuli Imperator fuit.*

Atque hinc extra ambiguum est, Pontifices urbem non gubernasse, neque Gubernatores loco sui constituisse; consequenter eiusdem urbis Dominos non fuisse. Ex altiori etiam habetur antiquitate, quod Imperator Valentinianus iteratis vicibus Prætextato Gubernatori Urbis, à se constituto, mandaverit ut Damasum Pontificem contra iniqua schismatici Ursicini protegat molimina, quem inde relegavit in Galliam Anno 381. Symmachus, eiusdem urbis gubernator, ab Imperatore Honorio iussus fuit Bonifacium Romam expellere. Re autem melius cognita, Eulalius Antipapa per eum excussus fuit. Ob hoc Bonifacius Pontifex, Imperatori gratias referens, eidem rescripsit his verbis usus. *In urbe vestra mansuetudinis, &c.* Si fuerit hæc Imperatoris, non fuit Pontificis. Nec ea Sylvestro per donationem obtigit Italia; cùm postea Imperatores in ipsa habitaverint, ab Honorio usque ad Augustulum.

lum, ut scribit Cranzius *loc. cit.* Ubi tamen vir eruditissimus ex Gratiani testimonio perperam conatur evincere donationem non factam in Sylvestrum; eo quod Melchiades, Pontifex Maximus dicat, suo, scilicet ante Sylvestrum, tempore Constantinum Christianæ religioni nomen dedisse. Hæc enim, quæ Melchiadi Gratianus aliique collectores attribuant, non ipse pronuntiavit; sed Isidorus Mercator conflat, ut in emendato ejusdem Gratiani Decreto observatur: & ipse correctores Romani in Authore Glossæ notant, quod hæc sibi constare non possint, quia ibidem, scilicet 12. q. 15. §. *Futurem Ecclesiam*. Fit mentio Nicæni Concilii, quo tempore, sicut ex ipsa synodo, Eusebio cæterisque historicis apparet, Melchiades fuerat appositus ad Patres suos. Quare ut Covarruvias asserit, ridicule Melchiades pro facta donatione adducitur testimonium. Aut itaque Sylvestro non est facta donatio, aut testari non potuit de ea Melchiades.

Cæterum argumentis iis, quibus hæc famosa probatur facta donatio, quid virium insit, ex subjunctis patebit responsionibus.

Ad primum Respondetur. Non sine Dei inspiratione Constantinum Imperatorem terreni Imperii sedem Constantinopolim transfuisse, quod etiam prodigiis quibusdam significatum legitur. Quod verò hæc translatio fuerit facta ad implendam Danielis prophetiam, admodum incertum est; quandoquidem hujus Prophetæ effata diversissimas patiuntur interpretationes, & quæ magis genuina sit hucusque non patet. Quod si Veronius *Lib. 7.* credimus, Constantinus Imperator sedem Imperii ex Italia in Græciam transfudit, ut Persarum potentiam, nimium excreverit, commodius iretur obviam; nutantique Orientis Imperio promptius, & facilius subveniretur. Alii alias rationes adducunt. Legitur quidem, quod Constantinus Romam cesserit: sed quod eam alteri concesserit, non legitur. Locum mutavit,

quo dominium alteri non reliquit; quod e quidem Pontifices reservârunt, quando Clemens V. Avenionem discessit, & alii successores quinque ibidem sederunt. Imperator Romam cedens senatui aut populo urbem non concessit, quia nemo, ut Genebrardus præterdit, hoc scripsit. Ergo neque Sylvestro eandem concessit. Ecquis enim hæc scripsit? Veterum monumentis exploratum habetur, quod cum Constantinus, tum ejus successores absolutum Romanæ urbis Dominium habuerint, quod leges præscripserint civibus, quod præfectos statuerint, quod Magistratum juxta arbitrium instituerint, Constantium, mediolani post parentis obitum, urbis dominationem retinuisse, & Leontium præfectum inibi designasse, qui Imperatoris jussu Liberium Pontificem inde abduxit, Author est Ammianus Marcellinus *Lib. 15.* Pontifices Romanos Occidentis Dominos, quales in edicto constituantur, unquam extitisse, nullo est reperire vestigio.

Sed neque Pontificum ullus, qui Sylvestrum sunt secuti, Occidentalium regionum dominium, prætextu hujus donationis, unquam sibi arrogare molitus fuit, quod Cardinalis Cusanus *loc. cit.* quoque animadvertit his verbis. *Nec unquam legi aliquem Romanorum Pontificum usque ad tempora Stephani II. in illis locis S. Petri aliquod juris præsumpsisse habere.* multò minus ego in omnia loca Occidentis, Interim gaudeant possidentes. Asservari antiquas tabulas, sed litteras authenticas hujus prætextæ donationis vix fidem reperit: suspectaque res est de his fidem exigere, antequam adstruere. Archerypium verò, qui testatur se vidisse, hucusque inventus est nemo. Lepidum est, quod narant de Hieronymo Donato, apud sedem Apostolicam Venerorum Legato; qui à Julio II. P. M. jocaliter interrogatus, ubinam de maris Adriatici dominio, quod sibi Respublica Veneta vendicat, litteræ extarent, *(alibi)*

falsè respondit, in Romani Archivi scrinio reperi in quo servarentur litteræ Constantini Magni de donatione urbis.

Otto Frisingensis quantumcunque spectabilis historicus, iis est adjungendus, quibus plurimum tribuendum, quories res sui temporis, aut iis proximas; exequentur. Quæ ab aliis aut ex rumore perceperunt, seu ex vulgi opinione tradiderunt, non eadem æstimatione metienda sunt: quanquam nec ipse Otto, nisi ex affirmatione Ecclesiæ Romanæ, regiones occidentales huic competere tradat, quo videtur significare illud quod, observante Seneca *Lib. 4. Nat. quæst. cap. 3.* plures scriptores subintelligi volunt. *Sit fides penes Authorem.* Sic Egnatius *Lib. de Rom. Princ. in Constant.* fatetur historiam, sed iudicium suspendit inquiens. *Qui de Imperatoris donatione circumferuntur, ut minus similia veri non probant: sed variant Authores: ut aliis hoc viderint.* Lûdicrè rem tractare videtur Baldus dum in *præfat. Digest. num. 14.* scribit. Videte quod nos simus in terris Ecclesiæ: jdcirco dico, quod donatio valeat?

Ad Secundum Respondetur. Quæ sunt in Photii Nomocanone creperæ admodum sunt fidei. Nec Balsamoni fides astringenda, qui sæculo XII. scribens nullos ex alta antiquitate adducit testes. Ulro quidem fatendum, non omnibus testibus auritis fidem esse dene-gandam, quandoquidem senecæ *Lib. 4. nat. quæst. cap. 3.* æqua sit censura; quod secundæ notæ testes sint, qui vidisse equidem se negant, sed audivisse affirmant, dummodo à quibus perceperint palam edisserant. Arcem palatii Lateranensis in Urbe cum omni integritate Sylvestro Constantinum dedisse; Urbem ipsam & provincias in Italia donasse, nec vel unicus testis locuples adduci potuit. S. Leonis IX. Epistola nequaquam probat factam donationem: quia Pontifex, si quid suadere intendit, uritur receptis tunc opinio-nibus, sententiis, rebusque vulgaris. At non

continuo, quæcunque in hunc usum con-tulerit, ea sedis Apostolicæ iudicio probat, ut perquam bene differit Canus. *l. c.* S. Bernar-dus, aliique viri pii, qui de donatione Constantini insinuant, historiam decanta-tam crediderunt, qui absque exacta eorum, quæ passim circumferebantur, discussione, majoris momenti & emolumenti rebus, pie-tati scilicet, animos applicabant. Ad illud, quod de autoritate instrumenti antiqui ad-ductum, Respondetur, quod illius præci-puum fundamentum & radix sit rei gestæ se-ries, ac ipsius facti veritas, qua deficiente fides instrumenti, quantumcunque antiqui labascit. Veritas enim majorem vim obinet, quàm quodvis instrumentum: *text. alleg. in l. nec ignorans Cod. de donat.* Quod verò dictum de probatione evidenti ex instrumen-to resultante; illud obinet, si non sit suspen-ditum, ut Baldus &c. &c. Eccipiunt. Nam & antiqua sæpè instrumenta suspecta, vi-tiosa & suppositicia esse patet *Cap. in litteris X. de fide instrum.* Præteriti autem instrumenti fides omnino vacillat, ob superius memorata; & quia argumentum ex absurdo firmum in jure censetur, maximique vigoris *l. fin. Cap. de Auth. præstand. l. un. §. pro secundo* in e-dicto autem plura absurda remonstrata sunt, ullum dubium est incurere fallitatem, quandoquidem non possit salvari commoda interpretatione: quin potius verisimilis con-jectura refragatur. Quæ autem non sunt verisimilia fallitatis habent imaginem, ut lo-quitur Baldus in *l. 1. Cod. de furto & serv. corrupt.*

Ad Tertium Respondetur. Quæ in Gra-tiani Decreto continentur ejusdem sunt au-thoritatis, qua pollent fontes, unde hausit; neque Pontificum ullus iisdem majorem ad-didit, aut tanquam certa & in dubitata rari-ficavit. Imo in antiquorum lectione versatis-simi negant hunc divalem, ut vocant, seu pragmaticum constitutum. Inficiatur aperte S. Antonius *part. 1. historial. tit. 8. cap. 2. §. 8.*

Qq

quod

quod quidem miratur Raphael Volateranus *Lib. 23. anthiopolog.* cum Isidorus, quem liberaliter vocat planè Sanctum & gravem authorem, in historia sua apertè dicat Constantinum Pontifici Urbem Romanam cessisse. Verùm magis mirandum quod Compiler Decretorum, qui ex instituti sui ratione Patrum scripta pervolvissè debuerat, ex Isidoro, si is apertè dixisset, non desumpserit. Cur autem non desumpserit, rationem certam reddit Cardinalis Cusanus ubi supra. *Absque dubio, inquit, si non fuisset illud dictamen apocryphum, Gratianus in veris codicibus & Canonum Collectionibus invenisset; & quia non invenit, non posuit. Unde qui postea addidit, pro palea ita illam conscientiam scripturam posuit, sicut multa alia inveniuntur ex apocrypho libris nostris inscripta.* Quo docemur *Paleas* esse additiones diversis temporibus factas post collationem Gratiani. cum ergo hoc Caput *Palea* sit, nulla veritatis grana, ipsis etiam plerisque Canonistis assentientibus, ex eo colligere licet. Porro quæ in Bibliotheca Vaticana & alibi extate dicuntur antiqua hujus decreti apographa manuscripta, & ab Isidoro, Justello, Augustino Steuchio, Alberico, Bartholomæo Pincerna in latinum, numero duodecim translata, non sunt sibi conformia. Arbitro autem S. Hieronymo *Epist. ad Damas.* *Non est verum, quod variat.* Ipsimet Baronijs & Spondanus instrumentum donationis Constantinianæ, à Græcis editum, suppositivum & corruptum volunt. subditque Cardinalis *loc. cit.* quod ex eodem magis ambigua reddatur, quàm probetur Papæ potestas, quæ non jure humano, sed divino nititur. Du Pin satis probabile autumat, quod exemplar Græcum potius sit tractatum ex latino, quàm hoc ex illo. Habeat liber sextus Decretalium patem cum cæteris auctoritatem; nullo tamen viri timorati anguntur scrupulo, quando negant cuncta, quæ ad fidem, mores aut saltem disciplinam Ecclē-

siasticam non spectant, sed merè historica sunt, certissimè esse credenda, quia inibi continentur. Decretalium nonnullas contra à Pontificibus posterioribus meliori consilio refutatas: quoniam non ex firmo decreto sed ex Pontificum opinione prodierunt, quod Canus notat *L. 6. Lib. 5. cap. 5.* Acta quæ Gelasius Papa in Concilio Romano recepit, non continebant donationem Constantinianam: sed hæc fuit postea attexta, arque Eusebio ineptè supposita. Quin sæculo octavo eadem acta adhuc extitisse intemerata, fidem faciunt subsequentiū sæculorum testimonia, de quo videri poterit citatus Cusanus.

Quis hujus edicti fuerit fabricator, non est una omnium opinio; & inquirere vir videtur operæ pretium. Baronijs, episcopus perpetuus assæcla Binius, cum nonnullis alijs arbitrantur, ut supra insinuatim, à Græcis illud malevolè confectum, ut sic mundum fallerent, Papatum non à Christo institutum fuisse. Verè tamen multis videtur contrarium sentiendum: eò quod Patriarchatus Romani præminentia, à Christo Domino instituta, & tanta pervicacitate perpetuè à Græcis oppugnata vigore hujus decreti recipiatur, & publica auctoritate stabiliantur. Cumque in eodem sedi Constantinopolitanæ postremus locus tribuatur, à vero alternum videtur, quod homo Græcus & Schismaticus illud confecerit: qui, si non prius, saltem secundum locum sedi Constantinopolitanæ attribuisset. Joannes Morinus, presbyter Oratorii in Gallia, ominatur opus esse Joannis Diaconi, cognomento *musis*, qui imposturæ arguitur in Ottonis III. Diplomate; quod quidem vir doctissimus, & cui antiquitas manet obligatissima, ut de illo perhibet Leo Allatius, authenticum contendit, Baronijs vult esse suppositivum. Attamen quia Adrianus I. P. M. nec non Hincmarus Archi-Episcopus Rhemensis, qui ante hunc Joannem mutilum vixerunt, hujus edicti meminerunt, non potuit ille

primo hoc finxisse, quatenus sic beneficentia Regum Galliarum oblituraretur. Petrus de marca *Lib. 3. de conc. sacerdot. & Imp.* censet quod ab homine Latino, & fideli; imo, ut in Ottonis diplomate legitur, ab ipsismet Romanis Pontificibus, pia quadam industria, interveniente Rege Galliarum Pipino, cum fuerit: quatenus hoc modo Imperatori, Græcorum Exarchatum Ravennatensem repetenti, posset obviam iri. Ast imaginatione non evincuntur facta: hæcque conjecturatio futillis videtur eruditis; quandoquidem certum sit; neque Pontificibus, neque Regibus illa tempestate defuisse iusta media suas regiones defendendi; sic, ut ad fisiones hujuscemodi, facili negotio detegendas, recurrere non haberent necesse. Ficta & prorsus commentitia illa est, in hoc edicto fundata celsio; ut vel ipse jurium Pontificiorum ecclis *Annal. Eccles. tom. 12. ad an. Christi 1191. num. 62.* fateretur; sed à Pontifice quodam Romano confictam, quantumcunque in eo sibi complacent Protestantes, nullius testimonio, vel apparenter qualificato, probari posse, vadem se exhibet celeberrimus juris consultus Andreas Fachineus, in Gymnasio Pisano Professor *Lib. 8. cap. 1.* Petierit forte orientis Imperator à Pipino Italiae regiones; potuit contingere, ut aliquis fidelium, intentione non mala, tale edictum confecerit; & quadam vera suppositiis adjunxerit, quod Pipino & Paulo I. P. M. oblatum, ab Adriano I. adoptatum, deinde fuerit authenticis insertum; sicque successores in facto postea erraverint. Neque tamen Pontifices Romani ideo sunt fictionis arguendi: quin potius & sedis Apostolicæ salvatur integritas, & Petri de Marca quadam alia poterit admitti opinio, qui ex scriptionis indole, stylo scribendi, caractere, aliisque circumstantiis verisimile censet, tempore Pauli I. P. M. edictum fuisse confectum. Plurimis interim suspectus est Isidorus Mercator similium mercium deprehensus venditor, adeoque

illud sine temeritate de eo cogitari posse admittit Du Pin, quia tamen non est omnino certum, mavult hic suum hæc de re iudicium suspendere. Quidquid sit, indubitatum est quod architectus ille fuerit ideota, (non quidem ille doctus Canonico-regularum Abbas Jordanus, qui sæculo XIV. nequaquam IX. vel X. ut Theophilus Raynandus contra Bellarminum & c. & c. præclare evincit, sub hoc humili nomine, testo proprio, eruditionis suæ specimina evulgavit) sed homo stupidus & minimè circumspectus; qui dum prodesse voluit, ut fieri amat, magis obfuit, etiam declinandus, dum aliquid dare simulat. Voluntatem mentiendi habuit, artem nescivit. Rectè Agathias, Scholasticus Smirnaeus, ut eum vocat suidas, observat *Lib. 3. histor. Illud deceptionis perspicuum est Argumentum, quod, qui falsa persuadere vult, majori quodam verborum ornatu & varietate indiget, quibus veluti delinimentis utatur, ut ignorantes pelliceat.* At demiurgus, crasso de fide natus hanc artem non calluit, ideoque imposturæ facili negotio deprehenduntur.

Hic hæc de hoc sint dicta edicto. Prolixiore indagine, quis urbem aliasque regiones, & cui Pontifici dederit, consultius abstinetur. Siquidem post diligentissimam inquisitionem res perplexa manebit. An Justinianus Imperator, an Arithbertus Longabardorum Rex, An verò Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, ut passim Galli ceteris persuadere conantur, ex mera liberalitate & devotione in Pontificem supremum, contulerint, disquirunt liberius, qui ferulas Romanas non metunt. Merito his vapulavit, una cum scriptis suis comburendus, nisi valido ereptus fuisset patrocinio, Laurentius Valla, scriptor mordacissimus, qui majori in Pontificem odio, quàm eruditione librum integrum evulgavit adversus donationem Constantini Magni. *Flammæ*

evalsit: sine iis tamen urere virgas, ut est apud Horatium 2. *Serm. satyr. 7.* scripturientis dorsum sensit: quidquid infamem castigationem neotericorum unus, pro eo, quo ferebatur in virum affectu, factam neget. Simili livore in donationem hauc agitatus calamum strinxit, inter feras arundinis (sic appellat male feriatos scriptores S. Augustinus in *Psal. 67.*) recensendus Marcus Antonius de Dominis *Lib. 6. cap. 8. §. 52. & seqq.* quem cum ceteris in Angliam profugus de *Repub. Christiana* composuit: quos quidem rejecit, quando ad sanam mentem, aut lucidum intervallum rediit; sed demum, ut canis vomitum, resumpsit. Eius scripta *infelicibus ululanda lignis* sicut Catullus *epigram. 34.* habet, parilem promeritis subiere fortem; in eo quidem tolerabiliorē, quod authorem suum, licet defunctum, in pœna habuerint socium, qui superstes fortè non effugisset vivicomburium. Mitiores nostris temporibus nactus est virgatores Eximius P. Natalis Alexander; Ordinis Prædicatorum in universitate Parisiensi Doctor Theologus, Historicus elegantia styli, ubertate scriptio- nis, mentis animositate, Zeloque pro defensione fidei orthodoxæ pollens; cujus *Dissertationem Hist. Eccles.* insertam de Donatione Constantini Magni, titulo & capite integrè plectendam ac stigmatizandam per singula Religiosi Censores Romani jusserunt. Quo vergit illud, quod Eminentissimus Cardinalis de Nortfolca in Epistola ad eundem exarata, scitè exposuit. Nimirum deplorandam esse illorum scriptorum vices, qui materias ex suscepti instituti ratione tractare debent, in quibus absque multorum offensione, ne quidem ipsi veritati concessum est. Inveniant gratiam in oculis Innocentii XI. P. M. hujus scriptoris elucubrationes, quod, jussu ejusdem Pontificis, Cardinalis Cibo indicaverat Patri Alexandro. Ipse quoque Eminentissimus symbolum conferre voluit, quando, datis ad illum litteris, edita opera

valde deprædicat. Neque hîc suis partibus defuerunt quam plures alii, dignitate non minus, quam doctrinæ præstantia illustrissimi Præsules. Inter quos unus præ omnibus nominandus venit tunc Cardinalis De Urinis, nunc nobilitate generis, vitæ sanctimoniarum agendarum peritia ac pietatis studio omnibus retro Pontificibus æquiparandus Benedictus XIII. ex Ordine Dominicanorum ad summum Pontificatus apicem suis duntaxat meritis, omnium votis assumptus; qui etiam opera vasta Alexandri, Ann. 1744. 21. Augusti ætatis 86. defuncti, licet à Decreto Clementis XI. appellantis tenaciter adherentis, ex Indice Librorum prohibitorum, irrito obstantium nisu, suo evulsit imperio absoluto, virumque cum factu pristinæ integritati restituit. Evenerat quippe, quod Paulanias *Lib. 4.* observat. *Hominum plurimumque in rebus agendis ac præclare prosequendis alacritatem, nihilo fore minus famam, quam calculos fluviorum limus obruit.* Supra memoratus Sanctissimus Pontifex Innocentius XI. motu proprio ex certa scientia, & maturatione deliberatione præmissa, de Apostolicæ potestatis plenitudine Anno 1684. die 10. Julii damnaverat legi, aut servari deinceps prohibuerat Natalis Alexandri Historiam Ecclesiasticam, quam postea deputati censores Romani purgârunt, correxerunt, variaque expungendo, rigida animadversione castigarunt, sicque correctæ volumina; quatuor item opuscula separata, typis deinceps vulgari voluerunt, quatenus, eliminata locuste, opus videri posset expositum. Ubi tamen locum habeat, præclara illa Plinii junioris sententia *Lib. 5. Epist. 1.* *Perfectum opus quod est, atque absolutum; non tam splendescit limâ, quam detertur.* In alia quidem editione Alexander obfirmans faciem suam, per subtexta scholia, molitur censuras latas elidere: tum quod confixa ad fidem vel mores non spectent, aut saltem regulis morum non obstant; tum, quod ab aliis eruditissimis reprehensæ

CONTROVERSIA XXVII.

reprehensione sint tradita & passim recepta :
adeoque Correctores suos in hujusmodi re-
bus corrigere non veretur.

Ovid. l. 3. de Pont.
Eleg. ultin.

Corrigere at res est tanto magis ardua,
quanto
Magno Aristarcho major Homerus
erat

Ævo nostro hujuscemodi sortis vicem sub-
terunt, magno animi sui sensu, nec minori
aliorum stupore, viri purpurâ & literaturâ
ornatissimi, atque de Ecclesia meruissimi,

quorum tamen Scripta præter omnem expe-
ctationem à Revisoribus in Indicem Libro-
rum prohibitorum esse relata, eruditiores,
qui rerum causas penitus rimantur, non ad-
mirantur; præsertim cum Claudianus scri-
bat ad Alexand. quod legitur ab Ennodio
usurpatum. Lib. 2. Epist. 6.

*Ipse parens vatum Princeps
Heliconis Homerus
Indicis exceptit tela severa
nota.*



COROL-